Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

ad ihm nocte. qui unus erat ex ipsis. Numquid lex nostra
iudicat hominem. nisi audierit ab ipso prius & cognouerit
quid faciat. Responderunt & dixerunt. Numquid tu galileus
es. Scrutare scripturas & uide. quia propheta in galilea non sur- *Feria vi*
git. Et reuersi sunt unusquisque in domum suam. *Ieremie prophete.*
In diebus illis. Dixit ieremyas. Domine. omnes qui te derelin-
quunt confundentur. Recedentes a te in terra inscribentur.
quoniam dereliquerunt uenam aquarum uiuencium dominum. Sa-
na me domine & sanabor. saluum me fac. & saluus ero.
quoniam laus mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me. Ubi est uer-
bum domini. Ueniat. Et ego non sum turbatus te pastorem
sequens. & diem hominis non desideraui tu scis. Quod egres-
sum est de labiis meis. rectum in conspectu tuo fuit. Non
sis michi tu formidini. spes mea tu in die afflictionis.
Confundantur qui me persequuntur. & non confundar ego. Paue-
ant illi. & non paueam ego. Induc super eos diem afflictionis
& duplici contricione contere eos domine deus noster. *Secundum Iohannem.*
In illo tempore. Collegerunt pontifices & pharisei concilium.
& dicebant. Quid facimus quia hic homo multa signa facit.
Si dimittimus eum sic. omnes credent in eum. & uenient romani.
& tollent nostrum locum & gentem. Unus autem ex ipsis cayphas
nomine. cum esset pontifex anni illius. dixit eis. Uos nescitis
quicquam. nec cogitatis quia expedit uobis ut unus moria-
tur homo pro populo. & non tota gens pereat. Hoc autem a semetip-
so non dixit. sed cum esset pontifex anni illius. prophetauit quia
ihesus moriturus erat pro gente. et non tantum pro gente sed ut filios dei qui erant disper-
si congregaret in unum. Ab illo ergo die cogitauerunt ut inter-
ficerent eum. Ihesus ergo iam non in palam ambulabat aput